[illegible]genda [illegible]

Generose Domine 1

Generose Domine Lukaszkiewicz.

Amice Mi: Genus

Opuscula in his Miscellaneis sub N° contenta sunt.

PLANCTVS
in
OBITVM

Illustrissimæ Dominæ,

D. TECLÆ IN OŁYKA
ET NIESWIESZ DVCISSÆ
CONIVGIS.

Illustrissimi S.R.I. Principis Domini,

D. ALEXANDRI LVDOVICI
RADZIVILI.
Ołycensis & Nieświesień: Dvcis: Comitis á Szydłowiec. Mir & Kroże Marschalci Curiæ M.D. Lithuaniæ. Capitanei Słonimen: &c. &c.

M. BALTHASARIS STANISL: PRZTŁVSKI,
Professoris in Collegio Białen:

Plora super mortuum, quoniam exstinctum est lumen eius.
Eccles: 22.

VARSAVIÆ,
Apud Ioannem Trelpinski, S.R.M. Typographum,
Anno Domini. 1637.

Illustrissimo Domino,

D. ALEXANDRO LVDOVICO RADZIVILO, S. R. I. PRINCIPI.

Oł ycen: & Nieswiesien: DVCI, Comiti à Szydłowiec & Mir & Kroze, Marschalco M. D. Lithuaniæ, CAPITANEO Słonimen: &c. &c.

Domino Domino & Mecænati Amplissimo.

PLanctum ex luctuoso Illustrissimæ Coniugis Tuæ obitu, Tibi Illustrissime Princeps reuerenter dedico: vt eius demortuæ perpetuo monumentum habeas, cuius vitam tanquam dimidium animæ Tuæ, totius Orbis amoribus & deliciis præponebas. Dura & crudelia fata, cum cæteris omnibus, tum quod in Vestræ Domus Illustrissimæ ipsum prope caput acerbe incitata; en iterum aliam nobis squallidam & infelicem exhibuêre Catastrophen; quam silentio præterire, neque ius, neque fas est: ne vel ingrati erga nostram Patronam, vel ad illius munus supremum muti esse videamur. Tibi porrò Illustrissime Princeps, velut officii ac obsequii tesseram mei adscripsi eum plangorem: qui tanto faciliorem sibi aditum in penetrale beneuolentiæ Tuæ pollicetur; quanto libentius me autorem sempiterno Tibi nexu obligatum indicat; quantoque verius dolet eam Principem, è vita discessisse, in qua omnibus virginibus atq; matronis ad imitandum propositum esset exemplar. Equidem iste, planctus solum per triduum compositus, in apertum vt referatur, nihil postulat: Lucem & forum recusat; testibus item non indiget. sententiam secutus elegantis Poetæ.

Non luget quisquis laudari, Pontice, quærit.
Jlle dolet verè, qui sine teste dolet.

Sed mecum tantum supplex obsecrat, vt in Tuo conspectu iucundissime, in Tuæ sinu gratiæ possit conquiescere placidissimè. Hîc ille nominis Tui vndiquaque illustrabitur splendore; hîc se in luce clarissima, atque in

ore omni-

ore omnium versari opinabitur. Aspice modo ipsum ac suscipe beneuolus: & benigna manu acceptum æquus placatusque lege; ac lectum non ad Tuam illam copiose loquentem sapientiam (qua per totam Lithuaniam omnium animos ad te conuertisti) sed ad meam hanc Academicam inopiam, ad meam imperitam, ANASCISIAN *ad rudem inquam, impolitam & agrestem referas simplicitatem. Ad extremum vt literas nostras, musasq; tenuiores dignas esse Tuo patrocinio statuas, pro mea summa erga te reuerentia, pro Tua incredibili humanitate, quæso ac contendo vehementer. Interim Deus Omnipotens ab Illustrissima Gente Vestra remoueat funesta funera: Te vero recreet tantis consolationibus orbatum: vt fælix ac omnibus lætitiis lætus, amplissimis animi Tui virtutibus, & Rempub: diu tuendo adornes: & Vladislai Regis Serenissimi, Tibiq; fauentissimi experiaris semper beneficam voluntatem.*

Jllustr. Celsitudinis Vestræ

Cliens

BALTHASAR STANISL: Przyłuski,
P. C. B. RH:

Vox

Vox ad Matronas Lithuaniæ.

Num ignoratis quoniam Princeps cecidit hodie in Israel.
2. Reg. 3.

IAM plorat Genitor: luget Prosapia cuncta
Quod cecidit Princeps, vos tamen ista latent?
Iam plenus gemitu Princeps; magno Aula dolore
Immugit tristis; vos tamen ista latent?
Iam nimium mæsti fratres, mæstæque sorores
Soluunt se in planctum, vos tamen ista latent?
Præstans Nieswiesium rorantes vndique fletus
Dat, multumque dolet; vos tamen ista latent?
Ołyka suspirat grauiter; Mir Krozeq; plangunt:
Mæret Szydłowiec, vos tamen ista latent?
Białaq; succedens habitu lugubris in atro
Iam lachrymas fundit, vos tamen ista latent?
Denique muta suis, iam strident marmora templis,
Plurima lamentis, vos tamen ista latent?
Nequaquam ista latent, quin omnis concio vestra.
Audijt vt mortem, luctibus incubuit.
Pectus concutiens, oculos deiecta modestos
Pectore deuoto, talia verba tulit.

Quæri-

Querimonia Matronarum.

Mulier Sancta erat. Iudith. 8. c.

T E quoque iam nobis rapuerunt impia fata?
E ximiæ Gentis gloria magna Tuæ.
C rudelesq; tua abruperunt stamina Parcæ.
L ux Matronarum, cara corona viri?
A træ nec poterant aliter decreta patrari.
C lotonis, noster nî perijsset honos?
O spes vana hominum, vitæ fiducia vana!
N il vires prosunt, integra vita nihil!
I am fuerit mulier pulchra formosior Esther;
V t Iudith fortis; mors quoq; mordet eam.
X anthonemq; ipsam diuino sanguine cretam
R eddat: & illa tamen tristia fata subit.
A h miseræ crimen, quod tam concepimus atrox?
D e quo tam grauiter plebs tua Christe, dolet?
I nsigni decore orbasti Patremque Ducemque;
V nde fit vt cunctas non nisi flere iuuet.
I llustres natos orbasti matre benigna:
L æto priuasti tempore filiolas:
I llius si possit vita à morte reduci
P er nos; quæq; suam vellet obire diem.
R egis sed summi, quando fuit ista voluntas.
I ucundâ sociâ despoliare Ducem:
N il superest maius, nisi quî gratemur adeptæ
C ælestem vitam, pulchra theatra Poli.
I n nos (quæ Dominâ tam Sanctâ viuimus orbæ)
P loratus, plangor, tristia cuncta cadunt.
I nterijt dilecta Deo: cælestis amoris
S cire cupis causam? carmina pauca lege.

Quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum. 8. *Iudith.*

ET meritò dilexit eam, Regnator Olympi;
Subiunxitque sacris cætibus Angelicis.
Hæc etenim Princeps, quæ turpia facta perosa
A teneris annis, optima semper erat.
Quæ comis, facilis, nulli pietate secunda,
Compatiens miseris, integritatis amans.
Cui Pandora animi, cui dotes corporis omnes
Largiter infudit, cui dedit omne bonum:
Hîc erat in cunctis celebris moderatio rebus:
Hîc mite ingenium: vultus erat Charitum:
Hîc pudor, & speculum morum, prudentia vera:
Hîc lux iustitiæ, relligionis honos:
Singula quid referam? fuit hæc virtutis imago
Omnis Lithuanicæ sidus, amorq; plagæ.
Optes talem aliam, lugens Biała fortè licebit:
Quod speres, nihil est: non citò talis erit.

Quasi sol refulgens sic effulsit. *Eccles.* 50.

Ô Verè quasi sol oriens, sic illa refulsit!
Sic fulgens cunctis gaudia plena tulit.
Non adeò pridem venit comitata decore,
Ad tantos thalamos Principis eximij.
Mors, quæ fit citior semper melioribus, illam
Exemplum nuptis noluit esse diu.

Præstan;

Præſtantemq́ue ſuam ſtirpem prouexit ad aſtra
Cætera nunc telo funeris icta iacet.
Omnia florebant lætè, dum floruit ipſa:
Magnus honor; quando ſplendida vita fuit.
Nunc tantùm cineres reſtant, & inanis imago:
Gaudia, nunc tanto ſole cadente cadunt.
Feralis requies, & vox auditur amara.
Quiſq́ue ſtat atratus, quiſq́ue madet lachrymis.
O nulla in magnis vitæ conſtantia rebus!
O vana humani conditio generis!
Nemo iam vitæ, nemo alto credat honori,
Mors indiſcretâ, ſingula falce metit.

Accingimini ſaccis & plangite ante exequias. 2. *Regum* c. 3.

IAM Cliô triſti barbite nænias
Sonato mæſtas, & querula Cheli
Lamenta dic, amplaſq́ue dotes
Flebiliter memora Duciſſæ.
Vincebat illam ſtemmatibus ſuis,
Non ſtirps potentum maxima Principum:
Non fulgidi diues Senatus
Purpura; ſiue Ducum Tiara.
Fuit Tonantis fulgida gloria
Fuit Coluri Lithuanici decus.
Virtute præclara coruſcans.
Siue loquens facienſuè viſa.
Hanc tam celebrem Perſephone furens,
Auſa eſt acerbo funere mergere.
Eheu diem cunctis diebus
Luctificis numeris canendum!
O dura Clotho, ſiccine perfida
Tibi manus? ſic eximium bonum.

Inui-

Inuidit atrox fregit atque
Sustulit ex oculis Lechitum.
En nunc opem dat, qui Patriæ vulem
Vxore Princeps orbus amabili.
Qui Patriæ non fert dolosas
Insidias, pedicasque necti?
En stella splendens, quam cito concidit?
Flos quam coloris purpurei aruit
Quàm in squallidis & luctuosis
Gloria magna iacet feretris:
Tandem videtur, perdat vt omnia
Mors; nec supremis parcat honoribus.
Et quod fuit mortalis omnis,
Dum perimit satis hercle monstrat.
Cur cedis isto tempore Principis
Præstans imago: vitaque candida?
Cur cedis & nos in dolore
In lachrymis subitò relinquis?
Heu Patris ampli deliciæ iacent?
Apex Ducalis, lugubris heu iacet.
Splendor Camænarum iuuamen
Atque columna potens egentum.
Corona lucens fæminei status:
Mens læta Natûm: fortis & anchora
Aulæ voluptas nationis
Radziuilûm, iacet heu dolenter.
Dolenter inquam celsus honor iacet
Iacent Auorum grandia stemmata
Ex morte laudandæ Ducissæ
Funereo gemitu referta.
Iam quique fletus mittite flumina
Explete mecum luctibus omnia
Vos pauperes vestram parentem:
Musa tuam doleas Patronam.

Ploras

Plorate casti vos pueri & senes.
Deflete alumni Pierij chori.
Plangat Sacerdotum piorum
Stridula turba suum leuamen
Cætusque puri fundite lachrymas
Et vos dolorem Virgineæ manus
Ostendite inclaustris, notando
Raucisonis animum querelis.
Imò gemiscat tota Polonia
Quæ sic amaro funere perdidit
Heu prolis illustris parentem
Grande sibi columen futurum.
Quorsum, sed aures questubus obruo
Tantisque quorsum planctibus vrgeor?
Et nitor vt robusta possit
A lachrymis ratio retundi?
Cessabo, flendi copia plenior
Absit, dolorem comprimo tam grauem
Deflere non est fas Quiritem
Elysij rutilique cæli:
Viuit lubenter sidereas domos
Felix peragrat, spectat & aureis
Ridere campos lilijs, &
Flumina luxuriare gemmis.
Beata viuit, cuncta pericula
Potita portu, temnit, & occinit
Celeusma sanctum; & viuet orbe
Perpetuo celebranda sêclo.

❧✳✝✳☙

VALEDICTIO

Manes Illuſtriſsimæ Ducissæ loquuntur.

Ad Illuſtriſsimum ac Magnificum Dominum,

D. HIERONYMVM WOŁOWICZ GENERALEM SAMOGITIÆ,

Cobrin: Vpiten: Schaulen: Capitaneum, optimum Parentem.

Tempus fuit hinc abire me, vt moriar, tu vt vitam agas.

ME tamen ſuauis Genitor, dolebis?
Cum ſcias nullo gemitu moueri
Horridam mortem, ſimilique lege
Cuncta perire.
Pone mærorem, mihi gratulare,
Quæ tuam noſcens grauibus ſenectam
Confici morbis, ſtatui libenter
Linquere mundum.
Dum modò ſanus, fueris ſuperſtes:
Dum modo vitæ numerando ſecla
Præſtitos à Te, numeret amores.
Noſtra propago.
Sic precor, viuas placidaque mente
(Ob tuum munus pietatis in me)
Sis; ego æternum tibi chare opto &
Dico valeto.

Ad Illustrissimum S. R. J. Principem Dominum,

D. ALEXANDRVM LVDOVICVM RADZIVILVM

Ołycen: & Nieświesien: Ducem &c. &c.
Coniugem Gratiosissimum.

Verus amor nullum nouit habere modum.

CVM te pars animæ meæ
Mæstum conspiceret Biała
Curantem nimiè meam
In morbo valetudinem:
Tum verus amor quid sciat
Constans quid pietas agat,
Ostensum fuit omnibus.
Ergo tantus amor tuus,
Hoc iam forte loci stetit?
Nequaquam: petit altius
Etsi cum lachrymis petit:
En terræ exuuias meas
Mandat solicitissimus;
Te angit te premit anxium
Me dignatur honoribus
Busti, me prece recreat.
O Princeps celeberrime
Istud cunctipotens Deus·
Per vitæ omnia tempora
Largê retribuat Tibi.
Det suprema leuamina;
Det solatia centupla;
Det de rore Palatij
Picti sideribus Poli

Quidquid concupis expetis:
Quidquid vota ferunt tua.
Vt cum ſat benedixerit.
Te ſaluum Patriæ ſatis
Seruarit, viridi tuum
Serto condecoret caput.
Ac te perpetuæ tegat
Albâ lætitiæ ſtolâ.
At Dux magne modò vale
Coniux chare. Vale. Vale.

Ad Perilluſtres & Magnificos Dominos;

D. STANISLAVM WOYNAM

POLĄGOVIENSEM.

&

D. VLADISLAVM WOYNAM

GORZDOVIEN: CAPITANEOS

Fratres vterinos.

Virtus poſt funera viuit.

O Virtute micans, conſpícua nimis
Frater mi, bone mi, Frater & inclyte
Quid multâ roſeas triſtitiâ genas
Perturbas? moriens ſic homo non redit.
An tecum reputas fata ferocia?
An me tam ſubitò, quod cecidi doles?
Sed ſi quis remanet, fratris amor tibi,
Credo autem remanet, magnus amor tibi:
Ne quæſo doleas, ne mea funera
Vltra ſolicitis queſtubus vrgeas.
Viuo poſt obitum, ſtelliferam domum
Et cum Matre mea, & cum Patruis meis.

Felix

Felix possideo, Numina faustior.
Pro te sancta peto, proque tuo bono
Nunc mi chare Vale, Frater amans Vale.
Semperque eulogijs omnibus afflue;
Semperque auxilijs Alsitoni vtere.

Ad Illustres & Magnificas Dominas.

D. HEDVIGIM WOYNIANKA
SAPIEZTNA.
Vexilliferam Mag. Duc. Lithuaniæ.

D. CATHARINÃ WOYNIANKA SAPIEZTNA, NIEMONECEN:
Capitaneam, Sorores vterinas.

Flebile principium, melior fortuna secuta est.

OHE iam satis est molestiarum
Iam angorum satis, & satis dolorum.
O tandem, mea chara, blanda tandem
Mæstas desine lachrymas ciere.
Jam tuto pede tam periculosum
Transiui mare fluctuantis orbis
Jam technas Cacodæmonis maligni.
Vici: iam laqueos iniquitatis
Fregi, & perfidiosa tela carnis
Neruosè retudi, fauente cælo.
Jam non pænitet omnium laborum.
Quêis mundum subigens ego dolosum.

 Palmas

Palmas obtinui beatitatis
Victrix concino verba faustitatis,
Ergo cara soror tuis querelis
Sic incessere fata quæso noli.
Conserues faciem tuam decoram:
Non blandum tenues mærore vultum:
Non hos affice lucidos ocellos
Non istud placidum tuum labellum:
Non totam speciem tuam venustam:
Non demum inuideas mihi beatam
Sortem, quam teneo in beatitate
Læta & lætitiam tibi peropto.
Ohè iam satis est molestiarum
Iam angorum satis, & satis dolorum

Ad Illustrissimos S. *R. I. P. Dominos,*

D. NICOLAVM, ALBERTVM, MICHAELEM.

Et Illustrissimas Virgines,

D. ANNAM, IOANNAM,

Prolem dulcissimam.

Deus, qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem: Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. *Gen.* 48.

NON lachrymis Soboles crucia miserabile pectus,
Nam miserum causâ non decet esse meâ.
Lætam mercedem, cælo gratante recepi
Et potior vultu, luminibusque Dei.
Me pietas, me relligio, me candida mentis
Simplicitas, Diuùm, me timor ingenuus

Commendēt, tibiq; exemplo proponat amico
Hac mihi te similem parte vigere aueo
Cætera de Genitore tuo, pulcherrima facta
Et vitæ illustrem percipies modulum.
Ad quod præstandum cæli benedictio larga
Adsit, Teque Deus in tempus omne regat.
Jamque Vale æternumque Vale dulcissima proles.
Sisq; memor Matris, sis probitatis amans.

Monumentum

JLLVSTRISSIMA PRINCEPS.

Si te dixero Wołouiczyani Generis delicium:
Lithuanici soli florem, pietatis exemplar:
Benignitatis regulam; modestiæ lucernam:
Tolerantiæ lauream; morum idæam:
ignosces.

SI te dixero Magni Mariti vnicum solatium:
Coniugum normam: speculum Matronarum:
Apud Domesticos, & alienos spectaculum.

Parum est.

DEficit oratio, vbi tanta virtutum ratio:
Attamen lætare mortua feliciter,
Quæ vitam egisti laudabiliter.
Et Sarmatas, qui ad summa quæque.
Nihil desiderabant in te, præter annos:
Nihil improbarunt, præter fata præcipitia.
Ante thronum Altissimi,
(Vt piè credere libet)
Intuere stans, & tuere.

Mani-

Manibus glorioſis, & æternæ memoriæ.

Jlluſtriſſimæ Dominæ,

D. TECLÆ WOŁOWICZOWNA

Duciſsæ in Ołyka & Nieswieſz &c. Marſchalcæ M. D. Lith.

Quæ

LIthuaniam, naſcens, Matrimonium, viuens.
Białam moriens, Olympum exultans.
illuſtrauit.

Viator diſce.

Etiam probitate, ſine ætate maturas:
Modeſtiâ ſine faſtu. Heroides:
Pietatis ardore, ſine ſanguine fere Martyres fieri.

Et dic.

Templum operum immortalium.
Mortalitate corruit.
Exſtinctâ Jlluſtriſſima Domina TECLA Duciſſa
Ołycen: &c.
Anno ſalutis 1637. 21. Martij, Ætatis ſuæ 26.

Concluſio.

JN tanto Białæ luctu Jlluſtriſſime Princeps
Iſta tuli mæſto, carmina pauca Tibi.
Quæ ſi forte minus placeant, mirabile non eſt.
Aëre turbato, non benè cantat auis.

